

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8681

Auteur(s) : Arthur Ier, Bretagne (duc)

Bénéficiaire(s) : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1221, décembre

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

AUTRE CHARTRE D'ARTUR DUC DE BRETAGNE ETC. — Confirmation par Arthur duc de Bretagne, comte d'Anjou, du Maine et de Richemont, de toutes les donations faites à Perseigne. Il ajoute au revenu de l'abbaye une rente de quarante livres à prélever annuellement sur la voirie du Mans, rente payable en trois termes : quinze livres payables à la Quadragésime, quinze à la nativité de saint Jean-Baptiste et dix à la fête de saint Michel. Pour cette somme Adam s'engage au nom des religieux à faire célébrer chaque année un anniversaire en l'honneur du fondateur.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, n° XVII, p. 45-47.

Texte d'après a

Arturus, dux Britannie, comes andegavensis, cenomanensis et Richemontis, omnibus Christi fidelibus presentem cartam inspecturis, salutem. Sciatis nos dedisse, concessisse et presenti carta nostra in puram et perpetuam, liberam et quietam eleemosinam confirmasse Deo et monasterio Beate Marie de Persenia et monachis ibidem Deo et Beate Marie et omnibus sanctis servientibus et servituris domos, vineas et pressoria de Clarofonte juxta Cenomanos, de Charbonariis et de Colonis ; terras, prata, pasturas, habergamenta et nemora de Ruaudein ; pressorium, vineas et habergamenta de Baladone ; res et homines de Gonachieres siti in parrochia sancti Germani de Coudra ; manerium de Villapicta cum terris, pratis et aliis pertinentiis suis ; medietarias de Villeta et de Viridimonte cum edificiis, terris, pratis, pasturis et ceteris pertinentiis suis ; et quicquid habent in tota castellania de Frenayo et de Bellomonte ; habergamenta de Ridereyo cum pertinentiis suis ; feodum de Corbouain et de Gouderia cum pertinentiis eorumdem et quicquid ipsi habent in parrochiis de Contilleyo, de Losis, de Arneolis et Auditu. Molendina de Fortimanerio cum pertinentiis suis, domos, res, census et homines dicti loci ; tenementum de Barutel cum feodo, habergamentis, terris, molendinis et pertinentiis suis ; molendina etiam de Mamerto in quibus cum monachis Blesensibus dividunt, videlicet molituris, emendationibus caducis et omnibus eventibus procedentibus ex eisdem. Medietariam de Noerio juxta Vindocinum cum terris, pratis, pasturis, cum omnibus et singulis pertinentiis ejusdem, quam dedit eisdem in puram et perpetuam eleemosinam, liberam et quietam Johanna pie recordationis quondam comitissa de Alenchone et domina de Bochetto, domum eorumdem sitam in vico Sancti Beati in castello vindocinensi et illum scilicet qui dictam domum quocumque modo tenuerit et possiderit in futurum, et quidquid habent dicti monachi in parrochiis de Novocastro, de Uncinis, de Soonna, de Liveto, de Marolis, de Puisellis, de Blevia, de Pireto, de Ligneriis, de Chaceyo et de Montigneyo, et omnes res, possessiones, homines, usagia, libertates et eleemosinas a fundatoribus suis antecessoribusque nostris sive quibuslibet aliis fidelibus christianis illis datas et concessas. Unde volumus

et precipimus quod ipsi monachi eorumque successores et homines sui, tam presentes quam posteri, sint quieti et liberi de theloneo, passagio, pontagio, pedagio, havagio, halagio, reparatione civitatum, villarum et castrorum, coustumis, corveis, talleis et exitibus, omnique alia consuetudine et seculari exactione, de omnibus rebus quas vendiderint et emerint vel deportari fecerint per terram et aquam et illi qui in locis ipsorum manebunt in futurum similiter erunt liberi de visionibus, garnituris et molituris, omnibusque consuetudinibus et exactionibus supradictis in omni loco potestatis nostre et prohibemus ne aliquis eos, res, aut homines ipsorum, in aliquo vexet aut disturbet, quia tam ipsos monachos quam cuncta que eorum sunt sicut res proprias et dominicas in manu nostra, protectione et custodia retinemus, non nobis, nec successoribus nostris, ratione custodie et protectionis, hujusmodi aut alias, in jure, jurisdictione vel justitia, super premissis aliquid retinentes, nisi tamtummodo preces eorum et orationes, nec portare ullatenus possemus, si quis eos, bona, vel homines ipsorum turbaret, seu quocumque modo minueret, aut libertates, usagia et eleemosinas a nobis et antecessoribus nostris fundatoribusque suis ipsis datas et concessas interdiceret vel turbaret. Prohibemus insuper ne de illo tenemento suo ponantur in placitum nisi coram nobis aut regali justitia. Preterea cum ipsi sint et fuerint in garda sancte matris Ecclesie regiaque tuitione, custodia et protectione superiorum nostrorum, nobilium predecessorumque nostrorum, et extra gardam et justitiam fundatorum suorum, a sui principio fundamenti sicut ex chartis eorum et privilegiis cognovimus, rem istam gratam habentes et laudabilem, volumus et concedimus eosdemque monachos et successores suos in garda, tuitione et protectione predictis cum omnibus suis in perpetuum libere et pacifice permanere ; volumusque et precipimus quod charte ipsorum et privilegia absque corruptione vel diminutione aliqua inviolata perpetuo permaneant ac etiam inconcussa que et quas cum universis et singulis clausulis in eisdem contentis et expressis ratificantes et innovantes per omnes et singulos articulos confirmamus ; tenemur etiam nos successoresque nostri prefatos monachos et successores suos cum rebus, possessionibus, libertatibus, usagiis, hominibus, liberis, consuetudinibus et quictanciis suis in puram et perpetuam eleemosinam honorifice custodire, et ab injuriis, violentiis, pressuris et novitatibus indebitis protegere, defendere et servare. Concedimus insuper eisdem monachis et successoribus suis et confirmamus quadraginta libras andegavensis monete his terminis per manum viarii nostri cenomanensis aut tenentis bosselagii dicti loci persolvendas, scilicet quindecim libras in festo vel die medie quadragesime et quindecim libras in nativitate sancti Johannis Baptiste et decem libras in festo sancti Michaelis, annis singulis persolventur, ad quam summam statutis terminis persolvendam volumus predictam cenomanensem viariam specialiter obligari et si ipse viarius forte solvere noluerit vel distulerit, quod omnimode prohibemus, quicumque fuerit ballivus vel senescallus terre ipsum viarium et alium ad predictam pecunie summam persolvendam sine dilatione compellat auctoritate nostra, sub pena centum solidorum cenomanensis monete, pro quolibet termino evoluto de qualibet septimana postquam a dictis religiosis vel eorum certo nuntio fuerint requisiti, reddito nihilominus principali. Concessionem vero istam et confirmationem dedimus dictis religiosis pro salute et remedio anime nostre animarumque antecessorum et successorum meorum, et ut anniversarium nostrum annuum celebraretur in dicto monasterio prout nobis concessit venerabilis Adam abbas Persenie coram testibus inferius annotatis, videlicet domina Constancia matre mea, Willermo de Rupibus, senescallo andegavensi, Roberto de Vitreyo cantore parisiensi, Alano et Petro capellanis nostris et pluribus aliis. Actum est hoc anno Verbi incarnati millesimo ducentesimo vigesimo primo, mense decembris.